Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3073
Quelle:
Copyright:

&c. Adhaerent aliae Lectiones et Responsoria. Demum *fol.* 134. p. 2. *Incipit Orationale per totum anni circulum.* Oratio prima: *Excita domine potentiam tuam et veni* &c. Sed Orationum non nisi unicum *Folium* supereſt, quod eo magis dolendum, quo longius cum characterum forma, tum contentorum ratione *Codex* a ſibi congeneribus abit. Ad *Benedictinam* Familiam pertinuiſſe, non ambigo; in *Anglia* vero ſcriptum non contendam, quamvis in Titulo thecae adfixo manu Sec. XV. legatur: *Pſalterium in ſcriptura anglica.*

DCCCL.

393 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 186. 4. perbene ſcriptus, rubricisque diſtinctus, ſed temporum injuria non parum adflictus, *Liturgicus* eſt et ſequentibus conſtat Partibus. I. officio Chori, quod vulgo *Breviarium* dicimus, eoque primum *Dominicali* et *Feriali*, tum *Communi de Apoſtolis*, *Martyribus*, *Confeſſoribus*, *Virginibus*, *Dedicatione Eccleſiae* et *pro Defunctis.* Mutilus eſt a principio *Codex*, primaque verba e *Matutino Feriae* II. ſunt: *tui. Et ſi quod eſt aliud mandatum in hoc uerbo inſtauratur* &c. *Invitatoria*, *Antiphonae*, *Reſponſoria* et *Verſus* notis muſicis inſigniuntur. *Pſalmorum* tantum produntur initia, uti et *Hymnorum. Lectiones* admodum breves ſunt, neque indicatur, unde ſint depromtae. *Fol.* 30. p. 2. medio *pro Defunctis* Officio inſerta eſt, neſcio quomodo, *Sequentia de S. Benedicto*, quae incipit:

Rex benedicte benedic et protege.
Laudantes tuum benedictum famulum.
Qui benedictus nomine et moribus.
Claruit ſignis quod eſt tui muneris.

Et recenſitis quibusdam ejus miraculis finit:

Ad te tendebat ad te per te uenerat.
Nunc uidens tecum tui regni gaudium.
Nos tanti patris congaudentes gaudiis.
Pſallimus odas. ſit laus tibi trinitas amen.

unde concludo, *Codicem* olim Coenobio cuidam *Benedictino* deſerviiſſe.

II. *fol.* 35. ſequitur integrum *Pſalterium.* Praeit *Icon* picturata *Servatoris* clavis 4. cruci adfixi adſtante *Virgine* et *Johanne*, cui *pag.* altera adpictus *David* ſingularis formae citharam, quam *Germanicam* vocat Celſ. *Gerbertus* T. II. *de Cantu et Muſ. ſ. Tab.* 32. pulſans. Quatuor hujus latera cingit Εισαγωγη quaedam in *Pſalmos* valde jam extrita, cujus initium: